Harvard Medical School

Anatomical Library

Gift of

John Warren, M.D.

Harvard Medical Library
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

Gift of

Frederic T. Lewis, M.D.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/davidiscorneliid00cour

DAVIDIS CORNELII DE COURCELLES,

MED. DOCT.

ICONES MUSCULORUM PLANTAE PEDIS EORUMQUE DESCRIPTIO.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud CONRADUM WISHOFF, ET GEORG. JAC. WISHOFF, FIL. CONRAD. 1739.

INDEX CAPITUM.

Cap. I.	De Plantæ Aponeuroſibus.	Pag. 11
—— II.	De Portionibus Aponeuroſium plantæ carneis & uſu.	- - - 18
—— III.	De Flexore brevi digitorum Pedis.	- - - 21
—— IV.	De Vaginis, quibus tendines Flexorum digitorum pedis obducti.	- - - 24
—— V.	De Abductore minimi digiti pedis.	- - - 30
—— VI.	De Abductore pollicis pedis.	- - - 33
—— VII.	De Flexoris longi digitorum pedis tendinibus, & capite altero, in planta pedis ei accedente.	- - - 35
—— VIII.	De Tendineis emiſſionibus Flexoris longi pollicis & digitorum, ut & Chordis cum quibus tendines Perforati & Perforantis, inter ſe communicant.	- - - 42
—— IX.	De Lumbricalibus pedis.	- - - 46
—— X.	De Flexore brevi minimi digiti.	- - - 8
—— XI.	De Adductore Pollicis.	- - - 53
—— XII.	De Flexore brevi pollicis.	- - - 55
—— XIII.	De Transverſo pedis.	- - - 56
—— XIV.	De Interoſſeis pedis.	- - - 60

Ex TYPOGRAPHIA,

JOHANNIS WILHELMI DE GROOT.

BIBLIOPEGO.

Icon. 1 ponenda inter pag. 16 et 17

- - 2 - - - - - 28 - 29

- - 3 - - - - - 38 - 39

- - 4 - - - - - 50 - 51

- - 5 - - - - - 58 - 59

- - 6 - - - - - 62 - 63

- - 7 - - - - - 66 - 67

DAVIDIS CORNELII DE COURCELLES

ICONES MUSCULORUM PLANTAE PEDIS EORUMQUE DESCRIPTIO.

PROOEMIUM.

Hiſtoriam Muſculorum, qui in planta pedis ſiti, Iconibus illuſtratam, offerre tibi, Benevole Lector, haud ſuſtinuiſſem, ſi Celeberrimus BERNARDUS SIEGFRIED ALBINUS, Anatomicorum facilè princeps, ut manus exhibuit, ſic pedis Icones delineari curaſſet; etenim illae, nullis ſecundae, ipſam naturam & habitum partis ſummo artificio expreſſam referunt; un-

de conſtat quam elegantes hae, quam certae & perſpicuae fuiſſent, ſi magnus Ille Vir eas addere voluiſſet, quam illae profectò non fuiſſent inferiores. Verum quum hiſce deſtituti ſimus, & paucae, Cl. WINSLOWIO judice, figurae anatomicae reperiantur, quae partium hominis ſtructuram accuratius exprimant, periculum facere conſtitui; plantae pedis aponeuroſes, muſculos, tendines, qua valui cura, ſeparavi, ab origine ad inſertionem proſecutus ſum, artificis manum duxi, ut haberem aliquid, ex proprio penu depromptum, quod tradere Tibi poſſem.

Exercitatiſſimi accuratiſſimique ALBINI monitum diligenter obſervavi, quaeſivi muſculos eo, quo ſiti ſunt, ordine; eodemque, quo alii poſt alios ſequuntur, artificis dextra effinxit; Icon prima Aponeuroſes plantae oſtendit; ſecunda, Aponeuroſibus inverſis, quos immediatè tegebant muſculos, in ſitu naturali, ob oculos ponit; tertia, reflexo Perforato, Perforantis tendines, cum capite altero ei accedente, monſtrat; reliquae reliquos ſequentes, do-

donec tandem ſexta Interoſſeos exhibeat.

Deſcriptionem praemiſi brevem, ampliore enim haud opus eſſe videbatur, praeſertim cum habeamus dexterrimi corporis humani ſcrutatoris, Cl. ALBINI Hiſtoriam Muſculorum Hominis, omnibus numeris abſolutam; imo huic ſuperſediſſem, ſed quas publicare decreveram Icones, acceptiores fore putabam, ſi enarratione quadam ſuccincta comitarentur, maximè cum quaedam, aliis, quod ſciam, nondum notata, oculis ſubjicerent, unde vix fieri potuit, quin meae ab aliorum delineationibus, quandoque diſcreparent.

Non eſt quod miretur B. L., hac me opella ſcripta aggravare anatomica auſum, quum Clariſſimi in arte Viri nihil intentatum reliquerint, ut huic faſtigium imponerent operi: non enim cuncta perſcrutata adeo, ut venturorum induſtriae & diligentiae nihil ſupereſſe queat; nec me vanae ſpes gloriolae adegit, ut haec qualiacunque evulgarem, ſed ſincerum tantum obſervata cum aliis communicandi deſiderium, viliora fortaſſe, quam ut temporis in

hiſce volvendis jacturam mereantur.

Nihil exhibere conatus fui, niſi quod cura requiſita ſummaque patientia, ita habere ſe reperi; dein veris depinxit coloribus eximius in arte Pictor oblatas partes, quas ſpiritui vini immerſas conſervo, ita cuilibet, de candore meo fortè dubitanti, oſtendere poſſum, in hoc incubuiſſe me, ut quid verum ſincerumque ſit perciperem, atque uti res eſt dicerem.

Invenientur tamen in hoc opuſculo quaedam fateor, quae eadem ratione obſervari in omnibus ſubjectis, aſſerere non auſim, non enim Anatomes peritum latet, quantae muſculorum in diverſis hominibus occurrant varietates, reſpectu magnitudinis, figurae, ortus, inſertionis, cohaeſionis, abundantiae, defectus; verum enim vero nec mihi tanta fuit Cadaverum copia, quanta diligentiſſima rei inquiſitio atque inveſtigatio requirit, ut ex multiplici obſervatione conſtaret, quid pro regula eligere deberem; etenim ea, quae ſequentes Icones exhibent, ex ſedula pedum quatuor corporum, quae praeterita hyeme huic indagini

gini deſtinaveram, ſed adultorum, bene conformatorum, ſectione, nata ſunt. Conſtitueram tum paulo diligentius in plantae pedis muſculos inquirere, praeſertim cum jam ab aliquot retro annis, anatomico ſtudio ſemper quam maximè delectatus, haud raro operi manum admovere ſolerem, pauca quaedam hac in parte tandem advertiſſe mihi videbar, quae aut Anatomicorum diligentiam effugerant, aut ſaltem nondum literis conſignata fuerant; hinc rurſus pedem repetens, ut viderem an conſtanter haec obſervarentur, tum in quatuor, quorum jam mentionem feci, cadaveribus, praecipue ſequentia notavi.

1°. *Aponeuroſin plantarem in duas partes facilè ſeparabilem inveni, laxa enim eſt cohaeſio, nulla fibrarum utriuſque adunatio; hinc Aponeuroſin in majorem & minorem diviſi* (α). *In ſuperficie muſculis obverſa portiones carneas, haec quatuor* (β), *illa tres* (γ), *perpetuo obtulit.*

(α) Icon. 1. A. 1. ad 11. et B. 1. 2. 3.
(β) Icon. 2. D. 1. 2. 3. 4.
(γ) Ibid. B. 1. 2. 3.

2°. *Flexoris digitorum brevis venter tripartitus* (α), *tres tantum producebat tendines* (β), *qui minimo digito dicatur, deerat.*

Cum vero Aponeuroſes, a calcaneo incipiendo, ſolvere ſoleam, ea quae GARANGEOT (γ) *monet, in memoriam revocans, tali nempe methodo quartum Perforati tendinem ſaepe ſimul cum Aponeuroſi auferri, hanc cautiſſimè ſeparavi, nulla tamen, nec in ipſa expanſione aponeurotica, tendinis hujus veſtigia vidi: non tamen quartum tendinem exulare jubeo, haud raro deſiderari, notaſſe ſufficiat.*

3°. *Vaginae, tendines flexoris utriuſque digitorum, brevis et longi, coërcentes, in tot partes, quot digitorum internodia, diſtinguebantur* (δ); *differebat tamen a reliquis, quae flexoris pollicis longi tendini dirigendo ſervit* (ε).

4°. *Hiſce* (3°.) *apertis, tendinibus Perforati et Perforantis cautè diductis, Chordae ten-*

(α) Icon. 2. E. 1. 2. 3. et Icon 3. c. 1. 2. 3.
(β) Ibid. F. 1. 2. 3. et Icon 3. H. 1. 2. 3.
(γ) Myotom. hum. et can.
(δ) Icon. 2. S. 1. 2., T. 1. 2., V. 1. 2., P. 1. 2. 3., Q., R.
(ε) Ibid. U. 1. 2. 3.

tendineae, tres inter ſingulos utriuſque muſculi tendines, eidem digito debitos, cum quibus inter ſe communicabant, reperiebantur (α); *hinc cum quartus Flexoris digitorum brevis tendo deſideraretur, Flexoris longi quartus bis deſtituebatur.*

Mecum vero reputans, muſculos qui manus, iis qui pedis articulos movent, haud eſſe abſimiles, tendines manus digitos flectentes, ſimilibus fortè Chordis communicaturos inter ſe cogitavi; nec quaerentem me ſpes penitus fefellit, reperi enim ejuſmodi Chordam (β), *&* *ligamentum tendinoſum ſulcatum* (γ), *quibus ſingulus ſublimis tendo cum Profundi ſocio nectitur.*

5°. *Quum & quae raro cernuntur, notare non ſit injucundum, hinc Muſculum exiguum* (δ), *ſemel tantum mihi obſervatum, naturae, ut videtur, ludentis exemplum, ſimul apponi curavi.*

(α) Icon. 3. I. 1. 2., K. 1.2., Icon. 4. I., K. 1. 2. 3.
(β) Icon. 7. Fig. 1. i., Fig. 2. et 3. h.
(γ) Ibid. Fig. 2. et 3. i.
(δ) Icon. 4. R. Icon. 5. E. et L.

Haec ſunt eorum, quae inter ſecandum adverteram, praecipua. Non tamen regerenti fortè, paucas haſce obſervationes haud quaquam ſufficere, ut affirmetur, Carneas Aponeuroſium portiones, Chordaſve tendineas, aut conſtanti naturae lege, aut ordine numerove eodem, ſemper eſſe reperiundas, obloqui animus; licet ex hiſce concludi poſſe videatur, inquirentem, ſectionis Anatomicae gnarum, has ſaepe inventurum. Quicquid horum ſit, obſervata candidus impertio, naturae vero in his conſtantiam ulteriori inquiſitioni demonſtrandam relinquo.

In muſculorum ſitu deſcribendo hominem ſtantem conſideravi, hinc Flexorem brevem digitorum pedis, & minimi digiti Abductorem, ſuper Aponeuroſes plantae poſitos eſſe dixi, erecto namque, & pedibus fulto corpore, expanſiones aponeuroticae plantae muſculis ſubjiciuntur.

Monendus praeterea quiſquis has perluſtrare dignabitur pagellas, hunc me digitorum numerandorum ordinem ſervaſſe, ut primus ſit,

qui

qui Pollici proximus, alter a pollice ſecundus, & tandem quartus idem qui ultimus ſive minimus.

Muſculi Flexoris digitorum brevis & longi tendines, maximè ubi Lumbricalium origo erat indicanda, ſecundum ordinem, quem in digitis obſervaveram, quandoque deſignavi; hinc per primum Perforantis tendinem, illum intelligo, qui ad digitum primum pertinet, per ſecundum, qui ad alterum, per quartum, qui ad minimum.

Pedem totum in partem anteriorem, poſteriorem, Internam, externam, ſuperiorem, & inferiorem, divido; pars anterior eſt illa, quae digitis, poſterior, quae talo terminatur; interna, quae alterum pedem reſpicit, externa, quae huic oppoſita; ſuperior & inferior in homine erecto corpore ſtante, facilè intelligitur.

Tubera calcaneo duo tribuo, WINSLOWIUM ſecutus, alterum majus, quod internum, minus alterum eſt externum. Ejuſdem auctoritate fultus, digitorum & metacarpi oſſa in baſin & caput diſpeſco, anterius oſſis ex-

tremum caput, poſterius vero baſin conſtituit.

Characteribus, varias Iconum partes indicantibus, numeros quandoque arithmeticos adjunxi, ſic enim fore ſperabam, ut Icones literis minus onuſtae, perluſtranti gratiores redderentur, & inquirenti facilior indicatae partis inveniendae via monſtraretur.

Ubi ad finem paginarum citantur Icones, quae hujus ſunt opuſculi intelliguntur.

En totam hujus Opellae qualiſcunque rationem; hanc aequi rerum aeſtimatoris judicio ſubmitto; ſi placuerit, ad majora inſtigabor.

CA-

Caput I.

De Plantae Aponeuroſibus.

Ablata cute, plantam veſtiente, ad digitos pedis uſque, & pinguedine ritè ſeparata, in conſpectum prodit Aponeuroſis plantae. Dicitur ligamentum ſive lateſcens tendo cuti plantae ſubnatus; latus tendo pedis; aponeurotica ſive tendinoſa muſculi plantaris expanſio, ideo, quod gracilis hujus muſculi tendo in hanc Aponeuroſin latam expanditur: verum Gemelli ſive Gaſtrocnemii & Solei tendines huic juncti, in unum robuſtum abeunt, quem Achillis tendinem appellant; nec plantaris muſculi cauda, ſecundum obſervationem *Celeberrimi Albini*, ad plantam pervenire deprehenditur, re in ipſo Foetu etiam explorata: praeterea tuberculo calcanei firmiſſimè adhaeret.

An ergo deducenda eſt ejus origo a tendine Achillis, quatenus praecipuè ex unitis Gemelli

& Solei caudis conſtat ? An vero a calcanei tubere ?

Aponeuroſis plantae ſtatim in principio dividitur in expanſionem duplicem, majorem (a) & minorem (b). Aponeuroſin plantae majorem voco illam, quae a tuberculo calcanei majore verſus digitos pedis protenſa, Flexori digitorum brevi, & carneae portioni, alterum caput flexoris eorundem longi a calcaneo ortum conſtituenti, immediatè incumbens, maximam plantae partem tegit: minorem vero, quae ad latus externum prioris expanſionis ſita, Abductorem minimi digiti operit.

Major Aponeuroſis robuſta, tenſa, ab ortu anguſtior (c), mox emittit caudicem (d), pinguedine obvolutum, inque fibras plures expanſum; dein in progreſſu latior, verſus latus internum muſculum pollicis pedis Abductorem pro parte velat (e), verſus externum Aponeuroſi minori jungitur (f).

Apparent in hac ſuperficie, cutem reſpicientc, fibrae per plantae longitudinem decurrentes, ſen-

(a) Icon 1. A.
(b) Ibid. B.
(c) Ibid. A. 1.
(d) Ibid. D.
(e) Ibid. A. 2. 3.
(f) Ibid. A. 4.

ſenſim divergentes, quin & in quibuſdam locis ſe decuſſantes.

Tandem dividitur in portiones quinque (g), quarum quatuor ad extrema bifidae, tendinibus Flexorum, pollicis (h), digitorum pedis (i), tranſitum concedunt, & capitibus metatarſi oſſium, pollicem, treſque digitos ſubſequentes ſuſtinentium, inſeruntur; quod jam notavit *Cl. Albinus*, licet multi tradiderint, Aponeuroſin plantae extendere ſe ad primum internodium.

Portio quinta (k), primo quidem adſpectu ad caput oſſis metatarſi quinti pertinere videtur, ſed nulli oſſi affixa, finem Aponeuroſis plantae minoris ſupraſcandit, & ad latus verſus ſuperiora reflexa, in ipſo adipe evaneſcit.

Supra portiones medias cernuntur fibrae in modum Lunae creſcentis (l), cujus cornua digitis obverſa, inflexae, hinc ſemilunares, vel ſi mavis, arcuatae vocandae, in pinguedine diſparentes.

Aponeuroſis plantae minor (m) craſſitie, tenſione, cum priore ferè convenit, differt latitu-

(g) Icon. 1. A. 5. ad 11.
(h) Icon. 2. M. 5. 6.
(i) Ibid. M. 1. 2. 3. 4. et L.
(k) Icon. 1. A. 11.
(l) Ibid. E.
(m) Ibid. B.

dine multo minore; lateri externo tuberis calcanei majoris adnata, initium habet anguſtiſſimum (n), ſenſim lateſcit, fibris inſtructa longitudinalibus & obliquis. Portio ejus (o), ſupra tuberculum oſſis metatarſi quinti, tarſo proximum, verſus pedis dorſum reflectitur, eidemque tuberculo laxè adhaeret.

Qua parte jungitur Aponeuroſi majori, fibrae hujus, interſecantes fibras illius, relinquunt, per totum conjunctionis tractum, interſtitia quaedam aperta (p), pro tranſitu vaſorum, ferè ut in Diaphragmate, cujus fibrae in parte tendinoſa dextra ſe decuſſant, aditum Venae Cavae inferiori ab Abdomine in Thoracem concedentes. Tandem rurſus anguſtior facta (q), parti externae capitis oſſis metatarſi ultimi inſeritur (r).

Haec de Aponeuroſis utriuſque ſuperficie, ſublatis integumentis externis conſpicua, intellecta velim, de reliquis, alteram ſpectantibus, jam acturus.

Ico-

(n) Icon. 1. B. 1.
(o) Ibid. H.
(p) Ibid. C. 1. 2. 3. 4.
(q) Ibid. B. 3.
(r) Icon. 4. A.

Iconis primae Argumentum.


Omni cogitatione curaque in hoc incubui, ut genuina & integra hujus expanſionis facies, quantum quidem in me fuit, diſtinctè exhiberetur, nec eorum quicquam in hac delineatione omiſi, quae ſeparato dermate, adipe, ferè omni, ſub adſpectum veniunt: cernuntur enim Aponeuroſes ambae; majoris caudex a pinguedine, in qua latebat, liberatus; ejuſdem diviſiones, quarum extrema, cum a fibris arcuatis tendinoſis, tum ab elevationibus pinguedinoſis teguntur. Ligamenti lateralis interni partem aperui, ut Flexoris longi digitorum pedis & Tibialis poſtici tendines, per illud incedentes apparerent. Objici quidem poſſet, ſatius fuiſſe pollicem pedis cum reliquis quatuor digitis, ipſoſque ungues, quandoquidem ad rem non pertinent, praetermittere; at integritas tamen ipſius Iconis requirere videbatur, ut adderentur; ſic etiam clarius id, quod oculis ſubjicere volui, & primo quaſi intuitu patet, nec intuentibus mora infertur.

Iconis primae Characterum Index.

A. 1. *ad* 11. *Aponeuroſis plantae major.*
A. 1. *Ejus principium.*
A. 2. 3. 4. *Terminus latitudinis hujus circa mediam plantam.*
A. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Ejuſdem diviſiones in ſuas portiones.*
B. 1. 2. 3. *Aponeuroſis plantae minor.*
B. 1. *Ejus initium.*
B. 3. *Ejuſdem extremitas.*
C. 1. 2. 3. 4. *Foramina pro tranſitu vaſorum.*
D. *Caudex, quem Aponeuroſis major emittit.*
E. *Fibrae teudinoſae ſemilunares ſive arcuatae.*
F. *Tendo Achillis.*
G. *Principium Abductoris minimi digiti pedis, qua parte tegit tuberculum ad latus externum calcanei ſpectans.*
H. *Fibrae Aponeuroſis minoris tegentes tuberculum oſſis metatarſi ultimi ſive quinti.*
I. *Muſculus Abductor pollicis, quem pro parte Aponeuroſis major tegit.*
K. 1. 2. 3. *Ligamentum laterale internum.*
K. 1. 2. *Hujus ligamenti pars aperta.*
L. *Vaſa per hoc ligamentum tranſeuntia.*

M.

Icon. 1.



C. C. Diſsec. *Geo^s. Kenn^y. Delin. atq. Pinx.* *R. Blokh. Sculp.*

M. *Communis flexoris longi digitorum tendo.*
N. *Tibialis poſtici tendo.*
O. *Tibialis Antici tendo.*
P. *Aſtragalus.*
Q. 1. 2. 3. *Limbus cutis abſciſſae.*
R. *Elevationes pinguedinoſae tegentes extrema portionum Aponeuroſis majoris.*
S. 1. 2. 3. 4. 5. *Pedis pollex cum quatuor digitis ſubſequentibus.*
T. *Flexoris brevis pollicis pars.*

Caput II.

De portionibus Aponeuroſium plantae carneis, & uſu.

Aponeuroſis plantae major, a memorato calcanei tubere incipiendo, prudenter ſeparata, inverſa (a), conſpiciendas praebet portiones tres carneas (b), fibris pro maxima parte longitudinalibus praeditas, ex ipſa Aponeuroſi oriundas; quarum duae (c), cum tendine medio Flexoris digitorum pedis brevis cohaerent (d); tertia (e), ejuſdem muſculi caudae, quae ad primum a pollice digitum pertinet, affigitur (f). Hoc tamen non eſt perpetuum, nam, licet has portiones carneas ſemper invenerim, tendinibus Flexoris digitorum brevis minimè adhaerentes, ut ab Aponeuroſi ortas, ſic in eadem inſertas, quandoque reperi. Fortè tota corporis, plantae innixi, moles, dum ſtatur,

(a) Icon. 2. A. et Icon. 3. E.
(b) Ibid. B. 1. 2. 3. et Icon. 3. F. 1. 2. 3.
(c) Ibid. B. 1. 2.
(d) Ibid. F. 2. et Icon. 3. H. 2.
(e) Ibid. B. 3.
(f) Ibid. F. 3. et Icon. 3. H. 1.

tur, itur, comprimendo partes, huic adhaeſioni anſam dedit.

Aponeuroſis plantae minor, eadem methodo, ac de majore dictum, nexibus ſuis ſoluta, revoluta (g), prima fronte offert quatuor portiones carneas (h), tribus praecedentis Aponeuroſis prorſus ſimiles, quarum tres (i), quae, reſpectu quartae, poſteriores vocari poſſent, tendini Abductoris minimi digiti adnecti videntur (k), ſed ei vix adhaerentes, facillimo negotio inde ſeparantur (l). Quarta portio (m), quae eſt externa, & magis anteriora verſus poſita, hinc anterior dicitur, per Aponeuroſin nondum ſeparatam, utpote hîc loci, quam in reliquis partibus, tenuiorem, tranſlucet.

Aponeuroſes plantae uſibus ſequentibus inſervire videntur. Tenſae defendunt quos tegunt muſculos, tendines ad partes, quibus nectuntur, tendentes, vaſa, nervos, vitae, motui, debitos, ne inter ſtandum aut eundum nimis comprimantur, hinc muneribus ſuis obeundis impares reddantur. Si portiones carnae tendi-

(g) Icon. 2. C. et Icon. 3. G.
(h) Ibid. D. 1. 2. 3. 4. et Icon. 3. D. 1. 2. 3. 4.
(i) Ibid. D. 2. 3. 4. et Icon. 3. D. 1. 2. 3.
(k) Ibid. H.
(l) Icon. 3. D. 1. 2. 3. 4.
(m) Icon. 2. D. 1. et Icon. 3. D. 4.

nibus muſculorum, quorum mentionem feci, adhaeſerint, illos in actione juvabunt; ſin minus, ſaltem contractae portionum carnearum fibrae Aponeuroſes magis tendent, cutem leniter contrahent, ſimulque valebunt oſſa Tarſi & Metatarſi aliquatenus flectere, quamvis obſcurum inter ſe motum habeant.

CAPUT III.

De Flexore brevi digitorum Pedis. (a).

Muſculus hic dicitur, Flexor internodii ſecundi digitorum pedis, ab officio; Flexor brevis digitorum pedis, ut diſtinguatur ab eorundem Flexore longo; Perforatus, quia tendines, verſus extrema diviſi, pertranſire ſinunt caudas Flexoris longi ſive Perforantis; Sublimis, a ſitu, licet poſtrema haec denominatio, ſecundum obſervationem *Cl. Winſlowii*, non adeo apta videatur, cum ſi homo ſtans, ambulanſve conſideretur, infra omnes articulorum pedis muſculos ponatur.

Situm obtinet immediatè ſuper Aponeuroſin plantae majorem, inter minimi digiti (b), pollicíſque (c) pedis Abductores, quorum principia pro parte tegit.

Naſcitur ab infima parte calcanei, proximè ad radicem tuberculi majoris (d), tenuis, ver-

F ſus

(a) Icon 2. E. 1. 2. 3. et Icon. 3. c. 1. 2. 3.
(b) Ibid. H. 1. 2. et Icon. 3. B. 1. 2.
(c) Ibid. G. et Icon. 3. A. 1. 2.
(d) Icon. 3. a. 2.

ſus digitos incedens craſſior & paulo latior; dividitur mox in tres ventres (e), quorum ſinguli in ſingulum tendinem (f) abeunt.

Tendines, per bifidas Aponeuroſis majoris extremitates (g) tranſeuntes, ſinguli ſinduntur in duas caudas, ut Flexoris longi digitorum tendinibus (h) ad articulum tertium tranſitum concedant: ulterius progreſſi, tandem tuberculis, in inferiore parte marginis utriuſque ſecundi internodii, inſeruntur.

Ratio, cur non ſoleat dividi in tres, quos jam memoravi, ventres, quaerenda eſt, ut opinor, in methodo praeparandi Aponeuroſin plantae, qua portiones tres carneae Aponeuroſis majoris ab ipſa ſeparatae, huic muſculo adhaerentes, ejus diviſiones occultant.

Tendinum trium tantum mentionem feci, ob rationes in prooemio allegatas: indicare fortè voluit *Bidlous*, id ſaepius obtinere, nam poſtquam Anatomiae ſuae Tabula LXXXIII. & LXXXV. quatuor, deinde Tabula LXXXVI. tres tantum exhibet; & *Cowperus Myotomiae reformatae* Tabula LXV. n°. 185. tres tendines delineari curavit, ut plurimum tamen quatuor inve-

(e) Icon. 2. E. 1. 2. 3. et Icon. 3. c. 1. 2. 3.
(f) Ibid. F. 1. 2. 3. et Icon. 3. H. 1. 2. 3.
(g) Ibid. L. et M. 1. 2. 3. 4.
(h) Ibid. O. 2. 3.

inveniri aſſerit. Vidi quartum Flexoris longi digitorum pedis tendinem, qui, ubi ad minimum digitum pervenerat, ſimul Perforati in duas caudas diviſi, cum Perforante tranſeunte, figuram aemulabatur, cum tamen Flexoris brevis quartus deſideraretur.

Caudae duae, in quas quilibet Perforati tendo finditur, cohaerent inter ſe, interventu partis tendinoſae (i), quam emittunt, & quae ab una cauda oblique anteriora verſus in alteram fertur: tum ulterius progredientes divergunt, anguſtiores fiunt; extremitates tandem, qua oſſi nectuntur ſecundi ordinis, craſſiores, ad tactum molliores, fortè quod fibrae tendinoſae, in ipſo tendine arctius compactae, nunc oſſi inſerendae magis a ſe invicem recedant, & laxius inter ſe connectantur.

Muſculi hujus officium eſt, flectere ſecundum digitorum pedis internodium.

(i) Icon. 4. &.

CAPUT IV.

De Vaginis, quibus tendines Flexorum digitorum pedis obducti.

Tendines Flexorum digitorum pedis, nempè Perforati (a), Perforantis (b), & Flexoris longi pollicis (c), reconduntur Vaginis (d), ſive ligamentis fortibus, membranoſis, fibris in pollice obliquis, in reliquis digitis tranſverſis magis, aut ad tranſverſas accedentibus, inſtructis.

Quilibet digitus Vagina donatur, non tamen continua per integram digiti longitudinem, ſed in tres partes diviſa; quarum prima (e), eaque longior, utrique margini primi internodii digitorum affixa, deſinens ante caput ejuſdem internodii, caudas Perforati, Perforantis, quando-

(a) Icon. 2. F. 1. 2. 3. et Icon. 3. H. 1. 2. 3.
(b) Ibid. O. 1. ad 7. et Icon. 3. M. 1. 2. 3. 4. Icon. 4. M. 1. ad 7. Icon. 5. O. 1. ad 6.
(c) Ibid. X. et Icon. 3. Q. Icon. 4. d. Icon. 5. G.
(d) Ibid. P. 1. 2. 3., Q., R., S. 1. 2., T. 1. 2., V. 1. 2., U. 1. 2. 3.
(e) Ibid. P. 1. 2. 3., S. 1. 2.

doque Lumbricalium etiam, tendines includit. Altera (f), praecedente brevior, eadem ratione marginibus ſecundi internodii adnexa, Flexoris longi tendinem, extremáque caudarum Flexoris brevis obducit. Tertia (g), omnium breviſſima, internodio tertio accreta, tendinis Perforantis extremitatem occultat.

Ratio cur Vaginae non una continuitate a primo ad ultimum articulum ſint productae, eſſe videtur, ne impedirent digitorum flexionem, agentibus muſculis digitos flectentibus.

Vagina (h), tendinem Flexoris longi pollicis pedis obducens, eatenus cum praecedentibus convenit, quod tripartita, in reliquis tamen differt, nam figuram Trapezii aemulatur, eſtque omnium latiſſima, quod quidem requirebatur, ob latiorem dicti tendinis inſertionem.

Vagina haec tripartita, margini interno ſecundi pollicis pedis internodii adnexa eſt, hinc pars ejus prima (i), fibris omnium maximè obliquis donata, altero ſuo extremo lateri externo primi pollicis internodii accreſcit; altera (k)

(f) Icon. 2. Q. et T. 1. 2.
(g) Ibid. R. et V. 1. 2.
(h) Ibid. U. 1. 2. 3. et Icon. 3. Z. 1. 2.
(i) Ibid. U. 3.
(k) Ibid. U. 2.

fibras exhibet minus, quam praecedens, obliquas; tertia (l) tranſverſas, quae externo ſecundi internodii margini affiguntur.

Vaginae dictae ita coërcent & dirigunt tendines Flexorum digitorum, liberrimè in iis mobiles, ut actionis tempore recedere nequeant.

(l) Ibid U. 1.

Ico-

Iconis ſecundae Argumentum.

Oſtendit haec alteram utriuſque Aponeuroſis ſuperficiem, cum portionibus carneis, tribus ad majorem, ad minorem quatuor pertinentibus; hujus vero quarta portio, externa, anterior, adhuc in ſitu, per tenuem pellucidamque eo loci expanſionem tranſlucet, ut jam ſupra (Cap. 2.) monuimus. Dein monſtrat muſculos plantae pedis, qui, inverſa Aponeuroſi utraque, in ſitu naturali apparent; conſpiciuntur enim muſculi, Abductor digiti minimi pedis, duobus, & Flexor digitorum brevis, tribus, inſtructi ventribus; caput alterum Flexoris longi digitorum; eorumque ortus & tendines. Offert praeterea extremitates portionum, in quas Aponeuroſis major dividitur, quarum tres priores apertae, quarta integra, ut pateat, qua ratione tendines Flexorum digitorum pedis per harum bifurcationes ferantur; quinta utpote non bifida, hic negligitur. Monſtrat etiam vaginas ſive ligamenta, quaedam integra, aperta alia, eorundem muſculorum caudas punctaque mobilia cooperientia; ut & varios muſculos, Lumbricales, Interoſſeos quoſdam, alioſque, ſequentibus Iconibus clarius in conſpectum prodituros.

Iconis ſecundae Characterum Expoſitio.

A. *Aponeuroſis major inverſa.*
B. 1. 2. 3. *Ejuſdem Aponeuroſis portiones carneae tres.*
C. *Aponeuroſis minor inverſa.*
D. 1. *Aponeuroſis minoris portio carnea anterior in ſitu, Aponeuroſi eo loci pellucida, tenui, tecta.*
D. 2. 3. 4. *Ejuſdem portiones tres carneae reliquae poſteriores.*
E. 1. 2. 3. *Flexor brevis digitorum pedis, tribus ventribus ferè ad ortum uſque diviſis, donatus.*
F. 1. 2. 3. *Ejuſdem muſculi tendines tres, ad tres digitos priores pertinentes.*
G. *Pars Abductoris pollicis pedis.*
H. *Abductoris digiti minimi tendo.*
H. 1. 2. *Ejuſdem Ventres duo, ad originem uſque diviſi.*
I. 1. 2. *Flexor brevis digiti minimi, cum duabus partibus, in quas dividitur.*
K. *Flexoris brevis pollicis pars.*
L. *Aponeuroſis majoris extremitas ſive portio quarta adhuc integra.*
M. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Tres priores extremitates Aponeuroſis ejuſdem apertae.*
N. *Alterum caput ad tendinem Flexoris longi digitorum accedens, ſive maſſa carnea in planta pedis.*

O.

Icon. 2.



P. P. Diſsec. Geo.s Kenn.y Delin. atq. Pinx. R. Blokh. Sculp.

O. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Tendines quatuor Flexoris longi digitorum pedis.*

P. 1. 2. 3. *Vaginae ſive Ligamenta obducentia tendines Flexoris digitorum longi & brevis, ſecundum internodium primum digitorum incedentes.*

Q. *Vagina, tendinem Perforantis & extremas caudas Perforati tegens, ad ſecundum internodium pertinens.*

R. *Vagina Perforantis tendinem, qua tertio internodio affigitur, operiens.*

S. 1. 2. *Vagina eadem, quam* P. 1. 2. 3. *indicavimus, ſed hic aperta.*

T. 1. 2. *Vagina eadem, quae* Q. *ſed inciſa.*

V. 1. 2. *Vagina eadem quae* R., *aperta.*

U. 1. 2. 3. *Vagina pollicis tripartita, tendini Flexoris longi pollicis obducendo dicata.*

W. 1. 2. 3. 4. *Muſculi Lumbricales quatuor.*

X. *Tendo Flexoris longi pollicis pedis.*

Y. *Interoſſeus Internus ſive Inferior minimi digiti.*

Z. 1. 2. *Interoſſeus Externus ſive ſuperior tertii â pollice digiti.*

a. *Oſtendit locum in tuberculo calcanei majore, unde Aponeuroſis major plantae, et*

b. *Unde Aponeuroſis minor, initia coepere.*

CAPUT V.

De Abductore minimi digiti pedis.

Minimi digiti Abductor (a), nomen ſortitus eſt ab actione, *Winſlowio* dicitur Metatarſius, & Parathenar majus a ſitu, quia juxta cavitatem plantae pedis poſitus.

Externam pedis regionem occupat, immediate ſub Aponeuroſi plantae minore (b), qua obducitur.

Muſculus hic inter bicipites numerandus eſt, cujus caput internum (c) oritur ab exteriore parte & anteriore radicis tuberis calcanei majoris (d); externum (e) vero naſcitur a parte calcanei externa inferiore, maxime ab ejus tuberculo minore (f). Ambo ventres, ab ortu latiores, ſenſim fiunt anguſtiores, donec abierint in duos tendines diſtinctos, qui circa me-
diam

(a) Icon. 3. B. Icon. 2. H. 1. 2. Icon. 4. B.
(b) Icon. 1. B. 1. 2. 3. Icon. 2. C. Icon. 3. G.
(c) Icon. 3. B. 2. Icon. 2. H. 1.
(d) Ibid. a. 2. Icon. 4. E. 2.
(e) Ibid. B. 1. Icon. 2. H. 2.
(f) Ibid. B. 1. Icon. 2. H. et Icon. 4. E. 1.

diam oſſis metatarſi quinti longitudinem in unum teretem juncti, quandoque uſque ad inſertionem ſeparati, externae parti & laterali capitis oſſis metatarſi quinti affiguntur (g), ſub inſertione extremitatis (h) Aponeuroſis plantae minoris.

Unius tantum tendinis, in duos tamen diviſi, mentionem feci: nec tamen ignoro, praeter illum, alterum huicce tribui, tuberculo oſſis metatarſi quinti affixum; cujus ratio, ſi licet ex obſervatis meis ratiocinari, deduci poſſe videtur ex methodo ſecandi Aponeuroſin plantae ſolita, qua portiones quatuor carneae Aponeuroſis minoris huic muſculo junctae relinquuntur, ſic ut ejuſdem expanſionis tendineae pars, tuberculo oſſis metatarſi quinti laxè nexa, remaneat, quae fortè pro tendine jam dicto habetur.

Dixi hujus muſculi tendinem capiti oſſis Metatarſi quinti inſeri, quoniam in quatuor, quorum in Prooemio memini, cadaveribus, ſic reperi; non tamen aſſero eandem conſtanter inſertionem obſervari, multo minus haec in medium protuli, ut magnis Anatomicis, quos veneror, obloquerer, qui, eundem internodio di-

(g) Icon. 4. B.
(h) Ibid. A.

giti minimi primo affigi, teſtantur.

Abductor minimi digiti os metatarſi quintum a reliquis abducit: quando tendo ejus internodio primo inſeritur, digitum minimum abducit, ſimulque flectit eundem; quae quidem actio non obſervatur in provectioribus aetate, adultis, ſenibus, poſt calceamentorum compreſſionem, in aliis vero, infantibus praeſertim, ante calceorum uſum, cernitur, ut notarunt Clariſſimi viri, *Albinus* & *Winſlowius.*

Ca-

CAPUT VI.

De Abductore pollicis pedis.

Abductor pollicis pedis (a), ab officio dictus, & Thenar, quia caro ejus in cavitate plantae pedis prominet.

Occupat marginem internum plantae, ut praecedens externum, Aponeuroſi majore pro parte tectus.

Muſculus eſt biceps; unum caput (b) ab interna parte & inferiore calcanei, e radice tuberis majoris naſcitur; alterum (c) vero a ligamento laterali interno, qua tendo Flexoris longi pollicis tranſmittitur. Abit hic muſculus in tendines duos (d), ad finem uſque diſtinctos, qui cum tendine e ventre interno Flexoris brevis pollicis connexi, parti laterali internae Ligamenti capſularis, os polli-

 cis

(a) Icon. 3. A. 1. 2., Icon. 4. C., Icon. 2. G., Icon. I. 1. 2.
(b) Icon. 3. A. 2. } et Icon. 4. F.
(c) Icon. 3. A. 1. }
(d) Icon. 4. C.

cis primum cum Metatarſi primo ligantis, adnectuntur (e).

Ejus inſertio variare videtur, quum Auctores eam ad oſſis metatarſi primi caput, mox ad baſin primi pollicis internodii, figuris ſuis exhibeant, aut ad os Seſamoidaeum internum, quod adjacet articulationi primi oſſis pollicis cum metatarſi primo, reponant.

Pollicem a reliquis digitis abducit, eundem flextere valet, ubi primo internodio adnectitur; ſed compreſſio calceorum diuturna hujus muſculi uſum in adultioribus plerumque abolevit.

(e) Icon. 5. B.

CAPUT VII.

De Flexoris longi digitorum pedis tendinibus (a), *& capite altero* (b), *in planta pedis ei accedente.*

Dicitur Flexor tertii internodii digitorum, ab actione; Flexor longus, ut diſtinguatur a Flexore brevi, & Perforans, quia tendines ejus per fiſſuras Perforati tranſmittuntur.

Quandoquidem de muſculis duntaxat agere conſtitui, quatenus plantam pedis ſecantis in conſpectum veniunt, hinc de Flexoris digitorum longi parte, quam Iconibus hiſce exhibui, tantum ſermo erit.

Tendo communis (c) Perforantis, tranſeuns juxta malleolum internum, latuſque internum ſi-

(a) Icon. 3. M. 1. 2. 3. 4., N., O., Icon. 1. M., Icon. 2. O. 1. ad 7., Icon. 4. M. 1. ad 7., Icon. 5. O. 1. ad 6.
(b) Ibid. P. Icon. 2. N., Icon. 4. N., Icon. 5. M.
(c) Ibid. O. Icon. 1. M., Icon. 4. M. 7., Icon. 5. O. 1.

ſinuatum oſſis calcis, ſub ejus eminentia ſive capite, cervicem Tali ſuſtinente, tegitur Ligamento laterali interno (d), per quod, veluti per vaginam, incedit; progreditur ſupra Abductorem pollicis pedis (e), tendinem Flexoris longi pollicis (f) decuſſat, medioque per plantam itinere latior factus (g), dividitur in quatuor tendines (h), qui per ſecedentes Flexoris digitorum brevis caudas (i), ad os tertium pergunt, vaginis tendinoſis obducti (k): tandem eorum extremitates latiores, qua parte oſſi obverſae duritiem tendinoſam ponunt; ſubſtantiae hujus, tendinosâ mollioris ſive pulpoſae, principium aliquantum reperitur inſinuatum inter articulationem ſecundi cum tertio internodio, nulli oſſi adhaerens; reliqua pulpoſae ſubſtantiae pars affigitur oſſi tertii ordinis quatuor digitorum; tota res ſe habet ut in extremis tendinibus Profundi ſive Perforantis manus (l). Omnes hi tendines, quamprimum Flexoris brevis

(d) Icon. 1. K. 1. 2. 3. et Ic. 5. a.
(e) Icon. 3. A. 1. 2.
(f) Ibid. Q.
(g) Icon. 3. N., Icon. 4. M. 6.
(h) Ibid. M. 1. 2. 3. 4., Icon. 4. M. 1. 2. 3. 4. 5.
(i) Ibid. H. 1. 2. 3.
(k) Icon. 2. P. 1. 2. 3., Q., R., S. 1. 2., T. 1. 2., V. 1. 2.
(l) Icon. 7. Fig. 2. *a. c.* et Fig. 3. *a. c.*

vis caudas pertranſierunt, nota quadam diviſionis (m), ad extremitatem uſque, apparent quaſi ſecti.

Alterum caput (n) accedens tendini hujus muſculi, quod etiam Carnea Maſſa in planta pedis vocari ſolet; olim Caro Quadrata; ſitum eſt inter tendinem modo deſcriptum & Abductorem minimi digiti, a quo principium tegitur, & reliquus progreſſus cum ab Aponeuroſi majore, tum a Flexore brevi digitorum.

Oritur ab inferiori parte calcanei, juxta radicem tuberis majoris & minoris; progreditur in anteriora fibris rectis, accedit & accreſcit tendini communi Perforantis, ad externum ejus latus, antequam dividat, & ubi jam dividit ſe in quatuor tendines.

Tertium digitorum internodium flectentis actionem juvat & dirigit.


(m) Icon. 4. M. 2., Icon. 6. Q. 1. 2.
(n) Icon. 3. P., Icon. 4. N., Icon. 5. M., Icon. 2. N.

Iconis Tertiae Argumentum.

Separato ab origine ſua Flexore digitorum pedis brevi, & in anteriora reflexo, ſimul cum Aponeuroſis majoris parte ei adhuc adhaerente, conſpiciuntur quatuor caudae, in quibus tendo communis Perforantis dividitur, cum capite altero ſive acceſſorio, quod ei additur: apparent Chordae, mediantibus quibus tendines Perforati cum iiſdem Perforantis communicant: cernitur etiam Abductoris pollicis ut & minimi digiti ortus. Vagina Pollicis hîc aperta eſt, & abſciſſa, ut tendinis Flexoris ejus longi decurſus ad inſertionem uſque pateat: nota diviſionis in hoc manifeſta, in Perforantis caudis, negligentius expreſſa, clarius Iconem Quartam perluſtrantis oculos ferit. Aponeuroſis minor in externum latus reclinata, inſertionis loco, ſcilicet lateri externo capitis oſſis metatarſi quinti, adhuc eſt affixa. Reliqua ex characterum enucleatione melius patebunt.

Lite-

Icon. 3.



T. T. Diſ. *G. K. Del.* *R. B. Sc.*

Literarum Iconis tertiae Explicatio.

A. *Abductoris pollicis pedis tendo.*
A. 1. 2. *Abductor pollicis duobus capitibus inſtructus.*
B. 1. 2. *Abductor digiti minimi pedis, ut praecedens, biceps.*
C. 1. *Cutis ſuperficies interna*, et C. 2. *externa.*
D. 1. 2. 3. *Aponeuroſis plantae minoris portiones tres carneae poſteriores.*
D. 4. *Aponeuroſis ejuſdem portio carnea anterior.*
E. *Aponeuroſis plantae majoris pars, adhuc Flexori brevi digitorum adhaerens.*
F. 1. 2. 3. *Portiones ejus tres carneae.*
G. *Aponeuroſis plantae minor, inverſa, inſertionis tamen loco adhuc affixa.*
H. 1. 2. 3. *Tendines tres Flexoris brevis digitorum, extra ſitum poſiti.*
I. 1. 2. *Chordae tendinum Perforantis et Perforati priores; Chorda vero* I. 1. *a tendine Perforantis eſt ſeparata.*
K. 1. 2. *Reliquae Chordae e tendinibus modo dictis emiſſae, et quidem* K. 1. *Chorda altera*, K. 2. *Chorda tertia.*
L. *Venter internus Flexoris brevis pollicis.*

M. 1. 2. 3. 4. *Tendines quatuor, in quos dividitur tendo communis Flexoris longi digitorum.*

N. *Locus ubi tendo communis modo dicti muſculi circa mediam plantam lateſcit, in quatuor caudas abiturus.*

O. *Tendo communis ejuſdem muſculi.*

P. *Alterum ejus caput acceſſorium.*

Q. *Flexoris longi pollicis pedis tendo.*

R. 1. 2. 3. *Lumbricales tres, qui in hoc ſubjecto tantum reperiebantur, nam ille, qui oritur a tendine Perforantis ſecundo et tertio, deſiderabatur.*

S. *Venter unus Adductoris pollicis pedis.*

T. 1. 2. *Flexor brevis digiti minimi, in duas partes diviſus.*

U. 1. 2. *Interoſſeus externus ſive ſuperior tertii a pollice digiti.*

V. *Interoſſeus internus ſive inferior minimi digiti.*

W. *Interoſſeus internus ſive inferior digiti tertii.*

X. *Muſculus Tranſverſus pedis Caſſerii.*

Y. *Vagina Perioſteo et Aponeuroſi plantae majori continua.*

Z. *Vagina, tendinem Flexoris longi pollicis tranſmittens, aperta et ad latera abſciſſa.*

&. *Ligamentum tendinoſum, quo ambae tendinum Flexoris brevis digitorum caudae inter ſe copulantur.*

a.

a. 1. *Tuberculum calcanei minus, unde alterum Abductoris minimi digiti caput oritur.*
a. 2. *Tuberculum calcanei majus.*
b. *Pinguedo.*
c. 1. 2. 3. *Tres Flexoris brevis digitorum pedis ventres.*
d. *Os Seſamoïdeum internum, articulationi primi oſſis pollicis cum metatarſi primo appoſitum.*

CAPUT VIII.

De Tendineis emiſſionibus Flexoris longi pollicis & digitorum, ut & Chordis cum quibus tendines Perforati & Perforantis inter ſe communicant.

Flexoris longi pollicis pedis tendo tranſit per vaginam, ipſi a ligamento laterali interno conceſſam (a), ſupra principium Abductoris pollicis (b); dein progreditur recta per plantam, eundo ſupra tendinem communem Flexoris longi digitorum decuſſatim; poſtea vadit inter Adductorem pollicis (c), & ventrem internum Flexoris brevis pollicis (d), ſub hujus ventribus externis (e), quibus tranſeundo veſtigium imprimit; incedit demum inter oſſa Seſamoïdea, quae articulationi internodii pol-

(a) Icon. 5. b.
(b) Icon. 4. F.
(c) Icon. 4. Y.
(d) Icon. 4. X. 1. 2.
(e) Icon. 4. U. W.

pollicis primi cum oſſe metatarſi, id ſuſtinente, apponuntur, donec tandem per vaginam (f), quam ſupra (Cap. 4.) deſcripſimus, ad internodium ſecundum ſive ultimum pervenerit, cui inſeritur (g). Ubi tendo jam dictus pervenit ad oſſa Seſamoïdea (h), inſigni diviſionis nota donatur, ad extremum uſque; fit ſenſim latior & tenuior, in fine latiſſimus. Tendo deſcriptus, quam primum attigit plantam, emittit portionem tendineam inſignem (i), quae fertur in anteriora, & accreſcit tendini communi Flexoris longi digitorum, paulo ante quam dividatur in quatuor caudas. Quandoque portio haec inſeritur non tantum tendini Perforantis, ubi findi incipit in caudas, ſed etiam caudae ſimul illi, quae primo digito dicatur, ſic ut anceps ſit, an cauda prima, unde lumbricalium primus originem ducit, a tendine communi Perforantis, an potius a faſcia illa ſive portione tendinea oriatur, ut hac hyeme in pede infantis vidi. Aliquando alterum dat ramum gracilem (k), paulo ſupra ortum prioris, qui coït cum tendine

(f) Icon. 2. U. 1. 2. 3., Icon. 3. Z. 1. 2., et Icon. 4. a. 1.
(g) Icon. 4. d.
(h) Icon. 3. d.
(i) Icon. 4. O., Icon. 5. H.
(k) Icon. 4. P., Icon. 5. I.

dine communi Perforantis, circa angulum, quem modo dictus tendo cum altero ejus capite acceſſorio (l) efficit.

Quandoque ex eodem tendine Flexoris pollicis longi emergit ramus, ſupra ortum illius inſignis, ſatis robuſtus, longus, qui caudae primae Flexoris longi digitorum inſeritur, ubi mox Flexoris brevis tendinem perforatura. Praeter has, aliae diverſitates obtinere poſſunt. Vide *Cl. Albini Hiſtor. Muſcul. Lib.* 3. *Cap.* 210.

Tendo Perforantis, antequam alterum caput ei accedat, dimittit portionem gracilem (m), quae in anteriora producta, tendini Flexoris longi pollicis additur.

Non poſſum hîc praetermittere muſculum quendam exiguum, non quod aſſerere velim, illum ſemper aut utplurimum adeſſe, ſed quia in hoc pede, quem Pictori delineandum praebui, diſſecanti mihi occurrit. Ab inferiore parte oſſis calcanei, juxta internum ejus latus, ad radicem tuberis majoris, ortum habebat muſculus exiguus (n), teres, qui in progreſſu anguſtior, abibat in caudam, emiſſioni tendineae inſigni (o), e Flexoris longi pollicis tendine enatae, inſertam.

Ten-

(l) Icon. 4. N., Icon. 5. M.
(m) Icon. 4. Q., Icon. 5. K.
(n) Icon. 4. R., Icon. 5. E. L.
(o) Icon. 4. O., Icon. 5. H.

Tendines ſinguli Flexorum digitorum connectuntur inter ſe tribus Chordis deſcribendis. Singulus Perforati tendo, paulo ante, quam dividatur in duas caudas, emittit Chordam tenuem (p), quae antrorſum progreſſa, tendini Perforantis inſeritur. Altera Chorda (q), e tendine Perforantis enata, ubi jam Flexorem brevem perforavit, anterius porrecta, affigitur caudae internae tendinis Perforati, ſub angulo, quem cauda haec cum Ligamento tendinoſo (r) efficit. Tertia & extrema (s), tendini Flexoris longi accreta, tendit ad caudam externam tendinis Flexoris brevis, eique adnectitur. Haec eſt fortè ratio, cur internodium digitorum tertium vix flectere valeamus, quin ſecundum ſimul flectatur.

(p) Icon. 3. I. 1. 2., Icon. 4. I.
(q) Icon. 3. K. 1., Icon. 4. K. 3.
(r) Icon. 3. &., Icon. 4. &.
(ſ) Icon. 3. K. 2., Icon. 4. K. 2.

Caput IX.

De Lumbricalibus pedis.

Lumbricales (a), a figura, quaſi lumbricos aliquomodo referant, ab actione verò Flexores primi internodii *Spigelio* dicti. Inter tendines Flexoris longi digitorum, ſuper Aponeuroſin plantae majorem ſiti.

Muſculi ſolent eſſe quatuor numero, quandoque tres tantum (b), & tunc Lumbricalis ſecundus vel tertius ſolet deſiderari. Originem ducunt a tendinibus quatuor Flexoris longi digitorum: *Cowperus* maſſam carneam in planta pedis, ſive alterum caput ad Flexorem longum digitorum accedens, pro vera eorum origine habet, hinc etiam illud cum Lumbricalibus continuum exhibet *Myotom. reform. Tab.* LXVI. N°. 5. 6., ut antea *Caſſerius Tab. Anatom. Lib.* IV. *Tab.* XLIII. *Fig.* 1. M. O., interdum enim Lumbricalium quidam, maximè quartus, fibras a capite altero acceſſorio accipiunt.

Lumbricalium primus (c) oritur cùm a tendine

(a) Icon. 4. Z. 1. 2. 3. 4., Icon. 5. P. 1. 2. 3. 4., Icon. 2. W. 1. 2. 3. 4.
(b) Icon. 3. R. 1. 2. 3.
(c) Icon. 4. Z. 1., Icon. 5. P. 4.

dine illo inſigni (d), qui a Flexore pollicis longo ad illum Flexoris longi digitorum porrigitur, tùm a parte interna tendinis primi Perforantis; ſecundus (e), ab angulo, quem primus & ſecundus Perforantis tendo efficit; tertius (f), ab angulo ſecundi & tertii, non nunquam a tendine tertio tantum (g); quartus (h), ab angulo tertii & quarti, praeſertim a quarto.

Singuli in ſingulum abeunt tendinem gracilem, qui lateri interno primi digitorum internodii affigitur.

Primam digitorum Phalanga flectunt.

(d) Icon. 5. H.
(e) Icon. 4. Z. 2., Icon. 5. P. 3.
(f) Icon. 4. Z. 3.
(g) Icon. 5. P. 2.
(h) Icon. 4. Z. 4. et Icon. 5. P. 1.

Caput X.

De Flexore brevi minimi digiti.

Flexor brevis digiti minimi pedis (a), *Douglaſſio* Flexor primi internodii minimi digiti dictus, ab ea, quam exerit, actione, *Winſlowio* Parathenar minus, a loco, quem occupat. Situm obtinet ſuper Aponeuroſin plantae minorem, inter tendinem Abductoris minimi digiti (b), & Interoſſeum (c), qui ad eundem digitum pertinet.

Ortum habet a parte inferiore baſis oſſis metatarſi quinti, ejus tamen origo non ſemper eſt eadem, vid. *Albin. Hiſt. Muſcul. Lib.* 3. *cap.* 226. Dividitur dein in duos ventres, quorum ille (d), qui Interoſſeo dicto proximus, altero minor,

(a) Icon. 4. D. 1. 2., Icon. 2. I. 1. 2., Icon. 3. T. 1. 2., Icon. 5. A.
(b) Icon. 3. B. 1. 2.
(c) Icon. 3. T.
(d) Icon. 4. D. 2., Icon. 2. I. 1., Icon. 3. T. 2.

minor, adnectitur tendine ſuo ligamento capſulari, internodium digiti minimi primum cum oſſe metatarſi ultimo colliganti, & infimae parti baſis internodii dicti inſeritur. Alter (e), praecedente major, affigitur lateri externo oſſis metatarſi digitum minimum ſuſtinentis, ſub ejus capite.

Fibris hujus muſculi brevioribus factis, flectitur primum digiti minimi internodium.

(e) Icon. 4. D. 1., Icon. 2. I. 2., Icon. 3. T. 1.

Iconis Quartae Argumentum.


In hac delineatione, praeter inſertiones, Aponeuroſis Plantae minoris, Abductoris minimi digiti, & pollicis duplici tendine praediti, oſtenduntur portiones tendineae, quas Flexoris longi pollicis & Perforantis tendines emittunt, interventu quarum inter ſe communicant; Chordae tendinum Perforantis & Perforati; muſculus exiguus, cujus (cap. 8.) mentionem fecimus; alterum caput ad tendinem Perforantis accedens; Lumbricales; & alia, quae in ſequentibus Iconibus clarius ſpectanda exhibebuntur.

Iconis Quartae Characterum enodatio.

A. *Aponeuroſis minoris plantae particula, inſertionis locum oſtendens.*
B. *Abductor minimi digiti, ejuſque inſertio.*
C. *Abductor pollicis cum duplici tendine.*

D.

Icon. 4.



V. V. Diſ. *G. K. Del.* *R. B. Sc.*

D. 1. 2. *Flexor brevis digiti minimi in duos ventres diviſus.*
E. 1. 2. *Principium Abductoris digiti minimi, tuberi calcanei utroque affixum; muſculus ipſe ſeparatus conſpicitur in* B.
F. *Abductoris pollicis principium.*
G. 1. 2. *Peronei longi tendo.*
H. 1. 2. 3. *Extremitates tendinum Flexoris brevis digitorum, abſciſſae.*
I. *Chorda prior, qua parte tendini Perforantis adhaerebat, abſciſſa.*
K. 1. 2. 3. *Chordae reliquae, et quidem* K. 1. 3. *Chorda altera,* K. 2. *Chorda tertia.*
&c. *Ligamentum tendinoſum, caudas tendinum Perforati connectens.*
L. *Extremitas tendinis Tibialis poſtici, oſſi cuneiformi primo affixa.*
M. 1. 2. 3. 4. 5. *Quatuor caudae tendinis Flexoris longi digitorum, quarum prima* (4. 5.) *tranſverſim ſecta.*
M. 6. *Tendo Flexoris longi digitorum, Latior ubi findi incipit in quatuor caudas.*
M. 7. *Tendo communis Flexoris longi digitorum, extra ſitum, ut eo melius in conſpectum veniant portiones tendineae, mediantibus quibus cum Flexore longo pollicis communicat.*
N. *Alterum caput ad tendinem Perforantis accedens.*

O. *Portio tendinea inſignis, e Flexoris longi pollicis tendine, in illum Perforantis extenſa.*

P. *Portio tendinea antecedente multò tenuior, quae iiſdem tendinibus debetur.*

Q. *Tendinea portio, e tendine Perforantis enata, in eum Flexoris longi pollicis inſerta.*

R. *Muſculus exiguus, cujus cauda Emisſioni tendineae inſigni* (O.) *inſeritur.*

S. *Tranſverſi pedis pars, inter caudas Perforantis apparens.*

T. *Intereoſſeus internus ſive inferior minimi digiti.*

V. *Interoſſeus externus ſive ſuperior tertii a pollice digiti.*

U et W. *Duo Ventres externi Flexoris brevis pollicis.*

X. 1. 2. *Venter ejuſdem Muſculi internus.*

Y. *Adductoris pollicis pars.*

Z. 1. 2. 3. 4. *Muſculi quatuor Lumbricales.*

a. 1. 2. *Vagina pro tendine Flexoris longi pollicis, aperta.*

b. 1. 2. *Vagina, quam efficit Ligamentum laterale internum, pro tendine Flexoris longi digitorum tranſmittendo, aperta.*

c. *Apophyſis in baſi oſſis metatarſi quinti.*

d. *Tendo Flexoris longi pollicis, ubi latior internodio ſecundo affigitur; extra ſitum, ad latus internum Acicula firmatus eſt, ut eo melius vagina, per quam tranſit, et veſtigium, quod imprimit Flexori brevi pollicis, appareant.*

CA-

CAPUT XI.

De Adductore Pollicis (a).

Adductor pollicis pedis dictus ab eo, quo fungitur, munere; quibuſdam Adductor pollicis major, ut diſtinguatur a Tranſverſo pedis *Caſſerii*, quem Adductorem pollicis minorem vocant.

Juxta Flexorem pollicis brevem ſitus, ſupra Lumbricales, inter quos & Interoſſeos oblique ad inſertionem tendit.

Oritur a Ligamento (b) calcanei inſigni, antequam vaginam pro tendine Peronei longi conſtituat (c), ut & ab ipſa vagina (d), (niſi fortè quis malit vaginam ipſam pro parte ab ortu hujus muſculi tendinoſo deducere,) principio tendineo tenui, in progreſſu latior, dein iterum anguſtior. Ubi carnoſus fit, dividitur ſta-

O tim

(a) Icon. 5. T. 1. 2. 3. 4., Icon. 6. O. 1. 2. 3.
(b) Icon. 5. &., Icon. 6. Z.
(c) Icon. 5. T. 4. Icon. 6. S. 1. 2.
(d) Icon. 6. R. 1. 2.

tim in tres ventres diſtinctos (e), in unum tendinem communem abeuntes, qui inſeritur oſſi Seſamoïdeo externo, & ligamento oſſiculum illud cum internodio primo pollicis connectenti, hujuſque internodii parti inferiori laterali digitum primum ſpectanti.

Quando agit, pollicem ad digitos reliquos adducit, valet etiam eundem flectere.

(e) Icon. 5. T. 1. 2. 3., Icon. 6. O. 1. 2. 3.

CAPUT XII.

De Flexore brevi pollicis.

Flexor brevis pollicis pedis (a), immediatè ſub oſſe Metatarſi primo ſitus, duplici gaudet origine tendinoſa; una (b) a ligamento Calcanei inſigni, juxta ortum Adductoris pollicis; altera (c) a tendine Tibialis poſtici: ambae concurrunt. Tum dividitur hic muſculus primo in duas partes, quarum interna (d), quam *Cl. Winſlowius*, ſimul addendo Abductorem pollicis, Thenar vocat, inſeritur tendine ſuo, cùm oſſi Seſamoïdeo interno, quod apponitur articulationi pollicis cum metatarſo, tùm parti laterali internae baſis primi ejus internodii. Dein altera pars, eaque externa, quae eidem Auctori, ſi Adductorem pollicis ſimul addas, Antithenar dicitur, rurſus duas diſtinctas exhibet partes (e), in unum abeuntes tendinem, oſſi Seſamoïdeo externo, & baſi primi internodii pollicis affixum. Caeterum tendines ambo Ligamento capſulari oſſis hujus cum Metatarſi primo firmiter adnectuntur, &, quando hic muſculus agit, retrotrahunt oſſa Seſamoïdea, pollicemque flectunt.

(a) Icon. 5. S. 1. ad 6., Icon. 6. I. 1. 2. 3.
(b) Icon. 5. S. 4., Icon. 6. M. 1. 2.
(c) Icon. 5. S. 6., Icon. 6. N. 1. 2.
(d) Icon. 5. S. 3., Icon. 6. I. 1.
(e) Icon. 5. S. 1. 2., Icon. 6. I. 2. 3.

CAPUT XIII.

De Tranſverſo pedis.

Tranſverſus pedis (a), ſic dictus, quia ſolus eſt inter omnes plantae pedis muſculos, qui per tranſverſum incedat: vocatur etiam Tranſverſalis Caſſerii, a primo inventore *Julio Caſſerio Placentino.*

Inter Tendines Flexorum digitorum pedis (b), & muſculos Interoſſeos, ſtatim ſub capitibus oſſium Metatarſi, medius; oritur principio tendineo tenui, ſatis lato, a Ligamento capſulari, caput oſſis Metatarſi quarti cum primo tertii digiti internodio colligante; hinc latior, dein anguſtior, abit in tendinem gracilem, qui capſulari Ligamento articuli primi internodii digiti primi cum capite Metatarſi oſſis ſecundi affigitur.

Diverſitates, quae occurrunt, vid. in *Cl. Albin. Hiſtor. Muſcul. Lib.* 3. *cap.* 225.

Non me latet, meam Tranſverſi delineationem cum ea Anatomicorum non convenire: verum ut inveni, ſic delineari curavi, ſic deſcripſi, interim non negans, originem & inſertionem hujus muſculi in diverſis eſſe diverſam. Adducit hic muſculus digitos ad ſe invicem.

Ico-

(a) Icon. 5. R., Icon. 6. T.
(b) Icon. 4. S.

Iconis Quintae Argumentum.


Tendinibus Perforantis & Flexoris longi pollicis, ſimul cum Lumbricalibus, & capite altero ad Perforantis tendinem accedente, ſedibus ſuis remotis, in anteriora reclinatis, apparent, quos partim tegebant; muſculi, Adductor pollicis, ejuſque Flexor brevis, quorum ſinguli triplici ventre donantur; Ligamentum calcanei latum, inſigne, his originem praebens; vaginae Ligamenti lateralis interni, tendinibus Flexoris longi pollicis, digitorum, tranſitum concedentes, apertae; Tranſverſus pedis, hîc ſatis brevis, & Interoſſei muſculi, quibus ſubſequens delineatio clarius exhibendis inſerviet.

Literarum Iconis Quintae Illuſtratio.

A. *Flexor brevis digiti minimi, ab origine ſua ſeparatus.*
B. *Extremitas tendinis Abductoris pollicis pedis, inſertionis loco adhuc adnexa.*
C. *Tendo Peronei brevis, Apophyſi, quae eſt in baſi oſſis Metatarſi quinti, inſertus.*
D. *Tendo Peronei Longi.*
E. *Muſculi exigui principium, originis loco affixum.*
F. *Muſculi Tibialis poſtici extremus tendo.*
G. *Flexoris longi pollicis tendo.*
H. *Ramus, hîc inſignis, quem tendo Flexoris longi pollicis emittit, cum illo Perforantis conjunctus.*
I. *Ramus gracilis, tendinibus jamjam memoratis adnexus.*
K. *Ramus e tendine Flexoris longi digitorum in eum pollicis propagatus.*
L. *Muſculus exiguus, a principio ſuo (E) tranſverſim ſectus.*
M. *Alterum caput ad tendinem Flexoris longi digitorum accedens.*
N. *Ejuſdem principium, tuberculo calcanei minori affixum.*
O. 1. *Tendo communis Perforantis, reſectus.*

O.

Icon. 5.



T. T. Diſ. *G. K. Del.* *R. B. Sc.*

O. 2. 3. 4. 5. 6. *Ejuſdem caudae quatuor, in quas dividitur, quarum prima* (2. 3.) *per tranſverſum ſecta.*

P. 1. 2. 3. 4. *Muſculi Lumbricales quatuor.*

Q. 1. 2. *Extremae caudae tendinum Flexoris brevis digitorum.*

R. *Muſculus Tranſverſus pedis.*

S. 1. *ad* 6. *Flexor brevis pollicis.*

S. 1. 2. 3. *Ejus tres ventres.*

S. 4. 6. *Ejuſdem origo duplex.*

S. 5. *Continuatio membranae facientis vaginas pro tranſitu Flexorum longorum.*

T. 1. *ad* 4. *Adductor pollicis pedis.*

T. 1. 2. 3. *Tres Adductoris pollicis ventres.*

T. 4. *Ejuſdem origo a Ligamento calcanei.*

&. *Ipſum Calcanei Ligamentum inſigne.*

V. *Interoſſeus internus ſive inferior minimi digiti.*

U. *Interoſſeus externus ſive ſuperior tertii a pollice digiti.*

W. *Interoſſeus internus ſive inferior tertii digiti.*

X. *Interoſſeus externus ſive ſuperior ſecundi digiti.*

Y. *Interoſſeus internus ſive inferior ſecundi digiti.*

Z. *Interoſſeus externus ſive ſuperior ſecundus digiti primi.*

a. *Vagina, quam Ligamentum laterale internum tendini Flexoris longi digitorum largitur, aperta.*

b. *Vagina ab eodem Ligamento, quae tendinem Flexoris longi pollicis tranſmittit, pariter aperta.*

CA-

CAPUT XIV.

De Intero∫∫eis pedis.

Intero∫∫ei, a ſitu, quem obtinent inter oſſa Metatarſi, nomen ſortiti; dividi ſolent in externos & internos. Externi ſunt, qui inter oſſa metatarſi poſiti, in pedis dorſo apparent, hinc Interoſſeos ſuperiores pedis maluit appellare *Clariſſ. Winſlowius.* Interni magis oſſibus Metatarſi ſupponuntur, unde modo laudato *Winſlowio* Interoſſei inferiores pedis audiunt. Sunt ſeptem numero, quatuor externi ſive ſuperiores (a), interni ſive inferiores tres (b), praecedentibus graciliores. *Spigelius* decem Interoſſeorum meminit, quoniam inter hos refert Flexorem brevem pollicis pedis, minimi digiti, & fortè Adductorem pollicis. *Bidlous* etiam decem numerat, licet alia ratione: Quidam octo.

Interoſſeus externus ſive ſuperior primus, primi poſt pollicem digiti (c), oritur a latere interno oſſis Metatarſi ſecundi, annectitur tendini Peronei longi, per portionem tendineam tenuem (d), quam

(a) Icon. 6. B. D. F. G. H.
(b) Ibid. A. C. E.
(c) Ibid. H.
(d) Ibid. W.

quam ab eo accipit, & inſeritur parti internae baſis primi internodii digiti primi. Interoſſeus externus ſive ſuperior ſecundus primi digiti (e), in duas partes, non procul ab inſertione rurſus conjunctas, diviſus, oritur uno capite a latere interno oſſis Metatarſi tertii, altero ab externo ſecundi. Interoſſei externi reliqui, nempe qui ſecundo (f), & qui tertio digito (g), dicantur, ortum habent eadem ratione ab oſſibus Metatarſi, quibus interponuntur; poſtremus etiam a vagina Peronei longi; non tamen ut praecedens diviſi. Horum trium ſingulus abit in tendinem gracilem, qui lateri externo internodii primi ſui quiſque digiti affigitur.

Interoſſei interni ſive inferiores (h) initium ducunt a parte inferiore, ut & a latere interno oſſis Metatarſi, digitum, cui quilibet inſervit, ſuſtinentis; qui eſt tertii (i) digiti, & qui minimi (k), etiam a vagina Peronei longi. Singulorum tendo lateri interno baſis primi internodii ſui digiti inſeritur. Digitos flectunt; interni etiam, ut & externus primus digiti primi, adducunt verſus pollicem; externi reliqui abducunt.


(e) Icon. 6. F. G.
(f) Ibid. D.
(g) Ibid. B.
(h) Ibid. A. C. E.
(i) Ibid. C.
(k) Ibid. A.

Iconis Sextae Argumentum.

Adductore pollicis, ejuſque Flexore, ab origine ſolutis, & in anteriora reflexis, apparent reliqui, quos in praecedenti delineatione tegebant, Interoſſei; conſpicitur etiam tendinis Peronei longi per plantam decurſus, inſertio ad baſin oſſis primi Metatarſi, & caudae Tibialis poſtici per plantam continuatio.

Ico-

Icon. 6.



V. V. Diſ. *G. K. Del.* *R. B. Sc.*

Iconis Sextae Characterum illuſtratio.

A. *Interoſſeus internus ſive inferior minimi digiti.*
B. *Interoſſeus externus ſive ſuperior tertii a pollice digiti.*
C. *Interoſſeus internus ſive inferior tertii digiti.*
D. *Interoſſeus externus ſive ſuperior ſecundi digiti.*
E. *Interoſſeus internus ſive inferior ſecundi digiti.*
F. *Interoſſei externi ſive ſuperioris ſecundi, digiti primi, caput unum.*
G. *Interoſſei externi ſive ſuperioris ſecundi, primi digiti, caput alterum.*
H. *Interoſſeus externus ſive ſuperior primus digiti primi.*
I. 1. 2. 3. *Flexor brevis pollicis pedis, cum tribus ventribus, ab ea parte conſpectis, qua os Metatarſi primum tegunt.*
K. 1. 2. *Chordae, quarum interventu tendines Perforantis et Perforati inter ſe communicabant:* K. 1. *Chorda tertia, et* K. 2. *Chorda altera.*
L. *Ligamentum tendinoſum, quo mediante caudae tendinum Flexoris brevis digitorum connectuntur.*
M. 1. *Principium Flexoris brevis pollicis abſciſſum.*

M. 2. *Locus, ubi modo dicti muſculi principium a Ligamento Calcanei inſigni, unde oriebatur, abſciſſum.*
N. 1. *Alterum Flexoris brevis pollicis principium.*
N. 2. *Ejuſdem origo a tendine Tibialis poſtici.*
O. 1. 2. 3. *Adductor pollicis, cum tribus ventribus, ab altera ſuperficie, Interoſſeis obverſa, conſpectis.*
P. 1. 2. *Extremitates caudarum Flexoris brevis digitorum, inſertionis loco affixae.*
Q. 1. 2. *Extremitates tendinum Flexoris longi digitorum, internodio tertio inſertae.*
R. 1. *Pars illa tendinoſa muſculi Adductoris pollicis, quae ante ſeparationem continua erat cum vagina Peronei longi in* R. 2.
S. 1. *Principium tendinoſum ejuſdem Adductoris, a Ligamento Calcanei, unde oritur, abſciſſum in* S. 2.
T. *Tranſverſus pedis, cujus tendo a Ligamento capſulari, caput oſſis Metatarſi ſecundi cum baſi internodii primi digiti a pollice primi ambiente, ſeparatus.*
U. 3. *Peronei longi tendo.*
U. 2. *Pars tendinis Peronei longi latior.*
U. 1. *Progreſſus hujus tendinis rurſus anguſtior per vaginam, qua obducitur, hîc apertam, et inſertio in partem internam baſis oſſis Metatarſi primi.*
V. *Peronei brevis tendo, ejuſque inſertio in Apophyſin, e baſi oſſis Metatarſi quinti enatam.*
W. *Portio tendinea, quam Interoſſeus externus primus digiti a pollice primi accipit a tendine Peronei longi.*

X.

X. 1. 2. *Continuatio tendinis Tibialis poſtici per plantam procedentis.*

Y. *Tendo Tibialis poſtici, oſſi Naviculari et Cuneiformi primo affixus.*

Z. *Ligamentum inſigne, a radice tuberis majoris Calcanei ortum.*

&. *Vagina Tendini Flexoris longi digitorum communi tranſitum praebens, aperta.*

a. *Apophyſis, e baſi oſſis Metatarſi quinti enata.*

b. *Aſtragalus.*

c. *Os Seſamoïdeum externum, articulo oſſis Metatarſi primi cum internodio pollicis primo, adjacens.*

d. *Os Metatarſi primum.*

e. *Pinguedo, Muſculorum Interoſſeorum aliquot principia tegens.*


f. *Productio tendinea, a tendine Tibialis poſtici.*

Iconis Septimae Argumentum.

Non tantum in pedibus reperiuntur Chordae, inter tendines Perforantis & Perforati, utrique annexae; in manibus etiam, inter Sublimis & Profundi tendines iis ſimilem inveni, quam hac delineatione exhibere conatus ſum, & fortè in poſterum quandoque plures reperientur. Binae reliquae Chordae, quas haec Icon oſtendit, non ſunt ambobus tendinibus communes, has jam aeri incidi curavit *Bidlous Anat. hum. corp. Tab.* LXVII. & LXVIII.; oriuntur a productione tendineâ, enatâ e tendine Sublimis, poſt ejus in duas caudas diviſionem, & fine pulpoſo quaſi, inter articulum primum & ſecundum digitorum manus terminatâ. Apparent praeterea, Fig. 2. & 3., extremitates tendinum Sublimis & Profundi, ab oſſibus, quibus inſerebantur, ſolutae, craſſiores & latiores, quam ipſae caudae paulo ante inſertionem, a parte, qua internodiis affiguntur, molliores, quaſi pulpoſae: non tamen tota pulpoſa tendinum Profundi ſubſtantia internodio tertio inſeritur, ſed ejus pars prior inter articulum ſecundum & tertium libera haeret, extrema verò oſſi accreſcit. Oſtenditur etiam Ligamentum quoddam tendinoſum, ſulcatum, quo dicti tendines connectuntur; in his Perforati & Perforantis pedis etiam ſimile quid obſervavi. Figura 1. eoſdem tendines offert, cum ſuis Chordis, & oſſibus, quibus illi affiguntur.

Cha-

Icon: 7



Geo: Kennedy Delin: atq: Sculp

Characterum Explicatio.

Figura Prima.

a. Internodium digiti manus primum.
b. Internodium ſecundum.
c. Internodium tertium.
d. Aperta vagina, per quam tendines Sublimis et Profundi tranſeunt.
e. Tendinis Profundi in tertium internodium inſertio.
f. Tendo Profundi abſciſſus.
g. Inſertio caudarum Sublimis in ſecundum internodium.
h. Tendo Sublimis abſciſſus.
i. Chorda tendini Sublimis et Profundi communis.
k. et *l.* Chordae tendini Sublimis propriae.

Figura Secunda.

a. Pars extremitatis tendinis Profundi, pulpoſa quaſi, qua internodio tertio affigitur.
b. Tendo Profundi abſciſſus.
c. Pars altera extremitatis ejuſdem tendinis, pariter pulpoſa, quae inter baſin primi et caput ſecundi internodii libera haeret.
d. Extremitates caudarum Sublimis, qua oſſi adhaerent quaſi pulpoſae.
e. Tendo Sublimis abſciſſus.
f Ligamentum ambas tendinis Sublimis caudas connectens.
g. Angulus diviſionis tendinis Perforati in duas caudas.
h. Chorda tendini utrique, Sublimis et Profundi, annexa.
i. Ligamentum tendinoſum ſulcatum, caudas Perforati cum tendine Perforantis connectens.

Figura Tertia.

a. Pars extrema tendinis Profundi, pulpoſa quaſi, qua internodio tertio adhaeret.

b. Tendo Profundi abſciſſus.

c. Extremitatis ejuſdem tendinis pars illa mollis, quae inter baſin tertii et caput ſecundi digitorum oſſis reperitur, iiſdem tamen non affigitur.

d. Extremitates caudarum Sublimis, craſſiores et pulpoſae quaſi ea parte, qua internodio ſecundo adhaerent.

e. Tendo Perforati abſciſſus.

f. Productio tendinoſa, e tendine Perforati enata poſt diviſionem, cujus extremitas pulpoſa quaſi inter articulum digitorum primum et ſecundum libera haeret.

g. Angulus diviſionis Sublimis in duas caudas.

h. Chorda utrique tendini communis.

i. Ligamentum tendinoſum ſulcatum, cujus interventu tendo Profundi et caudae tendinis Sublimis connectuntur.

k. et *l.* Chordae tendini Sublimis propriae.

m. Inſignis diviſionis nota in tendine Sublimis, ante diviſionem.

n. Similis diviſionis nota in eo Profundi.

FINIS.

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE
QM
165
C81

RARE BOOKS DEPARTMENT